



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Acta Ecclesiae Mediolanensis

Actorvm Ecclesiae Mediolanensis, Pars Tertia - In Qva, Liber Memorialis Ad
populum Ciuitatis, & Dioecesis Mediolanensis, A Beato Carolo Borromaeo
Titvli Sanctae Praxedis compositus continetur

Borromeo, Carlo

Brixiae, 1603

Decretum de fine concilij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10502

Decretum de iureiurando a testibus Synodalibus præstando.

HOc decreto, Reuerendiss. singulis Episcopis, in quorum Dioccesibus pro officij nostri munere testes Synodales nominauimus, eam facultatem impartitur, vt illos qui ab hac Synodo ab sunt, iureiurando adstringant, ad formulam in Concilio Prouinciali iiii. præscriptam: idque duorum mensium spatio exequantur, tum nos de re præstita per literas certiore faciant.

His absolutis, quæ ad testes Synodales pertinent, RR. Promotores postremo contra absentes institerunt.

Et cum iam ad finem hæc actio conciliaris peruenisset, RR. Promotores pro subscriptione institerunt.

Mox Illustriss. Metrop. monuit omnes Reuerendiss. Episcopos, & absentium procuratores iussit ordine post se ad subscribendum accedere, decreto de suggestu per Cancellarium promulgato in hæc verba.

Decretum de subscribendo.

CAROLUS misericordie diuinae tituli S. Praxedis S. R. E. Presbyter Cardinalis Sanctæque Mediolanensis Ecclesiæ Archiepiscopus, admonet Reuerendiss. Patres omnes, qui huic Synodo iure interfunt, vt post se singuli loco & ordine ad altare maius accedant, & ijs quæ in hac Synodo decreta sunt, subscribant. Mandat etiam absentium Episcoporum procuratoribus, vt nemo eorum, proposita excommunicationis poena, Mediolano discedat, nisi prius sui Episcopi nomine decreta in hac Synodo edita suscipiens, vnusquisque illis subscripserit.

Hoc decreto promulgato, Illustriss. Metrop. primò, & omnes Reuerendiss. Episc. præsentibus, ac procuratores absentium cum sufficienti mandato interfentes, ordine ad altare maius singuli accedentes, in Cornu Euangelij consistentes, subscripserunt.

Subscriptionibus absolutis, quas cancellario præsentibus singuli fecerunt, cum iam omnes ad sua loca sessionalia rediissent, RR. Promotores pro indicatione

futuri vij. concilij prouincialis in sessione faciendæ in hæc verba institerunt.

Illustriss. & Reuerendiss. Metropolitanæ, Cautum est, & veteri canone, & decreto prouinciali, proximam Synodum Prouincialem in sessione indicij: ideo humiliter petimus, septimam Synodum prouincialem futuram iam denunciari & indicij omnibus, qui præsentibus adesse debent.

Mox Illustriss. Metrop. Indictionem proximi concilij septimi Prouincialis cancellario dedit, qui ascendens suggestum promulgauit.

Et cum Deo bene iuuante omnia in præsentibus Synodo peragenda iam absoluta essent, Reuer. Promotores instant apud Illustriss. Metrop. vt finis iam imponatur.

Illustriss. Metrop. primò Reuerendissimorum Patrum sententiam super hoc rogandam esse censuit; & Cancellarius ascendens suggestum, vniuersè his verbis rogauit: [Reuerendiss. Patres, Placetne vobis ad Dei omnipotentis laudem, huius prouincialis Synodi finem iam fieri?] Tum descendens singulorum sententiam rogauit: & cum omnes [Placet,] simpliciter respondissent, Illustriss. Metropolitanus ita decreuit. Et de suggestu pariter decretum statim promulgatum est.

Decretum de fine Concilij.

NOS CAROLUS S. R. E. Cardinalis tituli S. Praxedis, Archiepiscopus S. Ecclesiæ Mediolanensis, Deo auctore & adiutore, cum absoluta sint, quæ pro temporis ratione agi gerique posse videbantur; cumque pastoralis cura, Reuerendiss. Episcopos, qui huc in Conciliū euocati sunt, ad Ecclesiarum suarum stationem & Pastoralem vigiliam reuocet; id propterea huic sanctæ Synodi finem iure faciendum censuimus.

Tum promotores pro rogatu actorum apud Cancellarium institerunt.

Illustriss. Metrop. antequam acclamationes haberent, & Reuerendiss. Patres de more in Pace dimitteret, de sella ante altare illos in sessione confidentes, breui, sed graui admodum concione, de

ingulari Dei benignitate, quæ in Synodalibus conuentibus præsertim dignoscitur, & de vbertate Spiritus, & diuina gratia, quæ veluti ex perenni fonte in huiusmodi actionibus hauritur, allocutus est.

Aboluta concione, omnibus suis locis confidentibus, de mandato Illustriss. Metropo. indicta est oratio mentalis iuxta capita partita: per Reuer. D. Archidiaconum.

Oratio mentalis per horam dimidiam in tres partes distributa.

I.

Reuerendiss. Patres, Toto mētis pio affectu orate pro Sanct. D. N. Greg. Papa XII. vt eum Deus Spiritu sancto suo, in salutari gratia conferuet, gubernet, dirigat, & defendat.

II.

Reuerendiss. Patres, Toto cordis affectu orate, vt inclinet Deus ad preces humilitatis nostræ aures misericordie suæ, & in protectione Ecclesie suæ sanctæ antiqua sui brachij operetur miracula; ita vt hostium audacia dextera diuini auxilij prostrata, pacis tranquillitate fruatur, & in laudibus misericordie diuinæ incessabili exultatione letetur.

III.

Reuerendiss. Patres, Toto cordis affectu orate, vt Prouincia hæc vestris culta laboribus, & omnes Christiani orbis patres diuinæ gratiæ lumine infusa, in sanctæ reformationis institutis, omni charitatis opere & virtute iugiter vsque adeo progrediantur, vt in omnibus & per omnia glorificetur Deus & pater Domini nostri Iesu Christi.

Post orationem mentalem, preces ex pontificali per Illustriss. Metropolitanum recitatae sunt.

Mox processio Cleri vniuersi secularis, qui semper sessionibus interfuit, inchoata est: & dum procederent, per cures Tabella acclamationum ipsis fuit distributa. Processione absoluta, Accla-

mationes habitæ sunt in hunc modum R. D. Archidiacon. alta voce pronuntiate, & Reuerendiss. Patribus, cæterisque omnibus postea respondentibus.

Acclamationes Reuerendissimorum Patrum in Concilio Prouinciali Mediolanensis sexto.

Archid. Deo Patri misericordiarum, & Deo totius consolationis gratia.

Respon. Immensa est misericordia tua super nos Domine, qui secundum multitudinem miserationum tuarum, nos Conciliorum Prouincialium frequentia consolari iugiter dignatus es. Tibi laus, tibi honor, tibi gloria in sæculum & in æternum.

Archid. Beatiss. Gregorio Papæ & Domino nostro, Sanctæ vniuersalis Ecclesie Pontifici, cunctarum gentium obedientia, & Christiani nominis in omnem terram propagatio.

Respon. Domine Deus, Sanctiss. patrem gratia tua custodis; vt eo gubernante, gentes sancto veræ fidei lumine perfuse, in vnum Eccl. tue ouile colligantur.

Archid. Patriarchis, & Archiepiscopis, & Episcopis omnibus salutaris vigilantia.

Respon. Deus Pater luminum, Illustra faciem tuam super seruos tuos: accende corda eorum in ædificationem corporis tui.

Archid. Regi Catholico, & alijs Regibus, Principibusque Christianis perpetua felicitas.

Respon. Eterne Deus, Christianæ religionis defensoribus optabilem de hostibus crucis filij tui victoriam dextera potentia tuæ semper concede.

Archid. Fidelibus prouinciæ nostræ, & populo Christiano vniuerso Pax Christi æterna.

Respon. Memento Domine Deus in beneplacito populi tui, & confirma in omni virtute gressus eius, perpetuum quæ tuæ benedictionis rorem illi infunde.

Archid. Reuerendiss. huius Prouinciæ Episc. ad Ecclesias suas reditus cum spiritali fructu vberissimo.

Respon. Deduc nos Domine in viam rectam.